



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

Sectio I. Vtrum Ecclesia cogere possit hæreticos ad fidem catholicam
recipiendam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

incipiendo agere de mediis, quibus Ecclesia vti potest ad hæreticos reducendos, vel comprimendos.

DISPUTATIO XXI.

De mediis, quibus Ecclesia vitur ad reuocandos, & comprimendos hæreticos.

SECTIO I. *Utrum Ecclesia cogere possit hæreticos ad fidem Catholicam recipiendam.*

II. *De alio medio, quo vitur Ecclesia contra hæreticos prohibendo eorum libros.*

VARIA sunt hæc media, inter quæ possunt etiam numerari communicatio cum illis prohibita, & pænæ etiam, quibus eos punit, sed de his duobus, quia longiorem exigunt indaginem, duabus disputationibus sequentibus agendum erit: in hac ergo Disputatione de reliquis mediis dicemus, & in primis de potestate, quam Ecclesia habet ad compellendos hæreticos, vt redeant ad Catholicam fidem, quam in baptismo professi sunt.

SECTIO I.

Utrum Ecclesia cogere possit hæreticos ad fidem Catholicam recipiendam.

I Diximus supra, Ecclesiam non habere potestatem cogendi infideles ad recipiendam fidem, sed solum prædicandi, & proponendi fidem, relicta illis facultate libera illam, vel amplectendi, vel respuendi. Hinc oritur præsens quæstio: an hæreticos possit Ecclesia compellere ad audiendam, & recipiendam fidem Catholicam. Ratio autem dubitandi oritur ex ibi dictis, quia fides debet esse libera credenti, & per consequens coactio nec expedit, nec est iuxta ipsius exigentiam, cum rationibus motiuis, & suasionem, non metu, & coactione debeant homines ad veram fidem allici. De hoc tamen puncto latius controuersitæ contra hæreticos antiquos, & modernos disputant, & ideo à nobis breuiter expediendum erit. Poterunt autem videri Cardinalis Bellarminus tom. 1. lib. 3. de laicis, cap. 21. & 22. Valentia in præfenti diff. 1. q. 11. membr. 3. Suarez in præfenti disputat. 20. sect. 3. qui alios afferunt.

2 Aliqui ergo in primis dixerunt non esse religionis, & fidei causa dissensiones permittendas, sed singulos relinquendos suæ conscientie, & pacem ad inuicem seruandam, & charitatem, quæ est vinculum perfectionis: quare non solum non esse puniendos hæreticos, sed nec ab aliorum consortio separandos, sed fraterna pace, & concordia retinendos. Ita dixit olim Apelles quidam apud Eusebium lib. 5. hist. c. 13. & Nicephorum

lib. 4. cap. 29. dummodo omnes Christum confiteantur crucifixum, & in eo sperent. Idem ferè docuit nostro tempore Georgius Cassander apud Bellarmin. vbi supra cap. 19. saltem quoad eos, qui symbolum, & Scripturam admittunt: nec defuere alij, qui nouissime suadere voluerint modum conciliandi hæreticos cum Catholicis, dummodo quoad substantialia fidei conuenirent, licet in alijs (vt ipsi vocant) accidentalibus dissiderent: de quibus quid quisque opinetur, non ita acriter curandum, vt ea occasione Christiana vnitas, & concordia turbetur.

Hunc tamen errorem Catholici damnant, & impugnant, & videri possunt Bellarminus, & Suarez locis citatis. Constat enim quemlibet errorem, quo aliquis à vera fide Catholicæ Ecclesiæ dissentit, sufficere ad hæresim excludentem à regno Dei: qui autem in vno delinquit, factus est omnium reus: quod maxime in fidei negotio locum habet. Qui enim semel Ecclesiæ Catholicæ aliquid certum definit, & tradenti impudenter, & obstinatè resistit, non agnoscit veram Ecclesiam, nec eius auctoritatem; non est ergo Ecclesiæ membrum, nec in re parui momenti dissentit, qui Ecclesiam, eiusque auctoritatem negat, qui supremo Ecclesiæ visibili capiti non obedit, nec obediendum putat. Vnde iam nec symbolum retinet, cum veram Ecclesiam non confiteatur, sed aliam sibi fingat; nec etiam Scripturam sacram formaliter recipit, qui eam ad alios falsos sensus detorquet, nec iuxta Ecclesiæ & sanctorum Patrum sensum interpretandam vult. Non potest ergo esse consensus Christi, & Belial, nec lucis cum tenebris, sed ad minus separandi sunt hæretici omnes à Catholicorum gremio, vt ex dicendis à fortiori constabit.

Secundus ergo error est aliorum, qui dicunt, licet conciliari non possint, saltem non esse hæreticos fidei causa puniendos. Ita olim Donatista, & posteriori tempore Ioannes Hus, & nouissime Lutherus apud Suarez vbi supra num. 3. & apud Bellarmin. cap. 2. in principio, & solet esse vulgaris hæreticorum querela, seu calumnia contra Catholicos, quod in homines diuersæ religionis atrocioribus pœnis seruiant. Quam tamen calumniam iniustam esse agnoscunt mitiores alij sectarij eamque refellit nouissime vnus ex eadem secta Hugo Grotius aduersus rigidiore hæreticos. Et certè mirum est, vt notauit Coninch in præfenti diff. 18. dub. 14. num. 23. quod Ecclesiæ seruitiam, & tyrannidem hac in parte hæretici accusent, qui in Anglia, aliisque locis nulli parcunt tormenti, & seruitutis generi, quod in Catholicos religionis causa non exerceant. Quare ex ipsis multi palam iam sermone, & libris editis faudentur, posse, & debere hæreticos ea de causa pœnis, ac vltimo etiam mortis supplicio affici, quos refert Bellarmin. diff. cap. 21.

Veritas Catholica constanter docet, posse hæreticos baptizatos, compelli, & pœnis etiam cogi ad fidem Catholicam recipiendam, ac eisdem pœnis ob hæresis crimen puniri, non solum spiritualibus, sed temporalibus etiam, ac corporalibus, eamque potestatem in Ecclesia ipsa reperiri, quæ quando oportuerit per se vel per sæculares Principes potest eam exercere. In his conueniunt Catholici Doctores, qui latè hæc omnia probant, & videri possunt vltra supra citatos Alfonso, Castro, Arboreus, Rossensis, Simancas, & Farinacius, quos affert Suarez

C C c 4 num. 6.

num. 6. quibus adde Nicolaum, Sanderum de Clauē David lib. 2. cap. 11. & sequentibus, vbi eruditè de hoc argumento tractat.

6
Probat ex
definitione
Ecclesiæ.

Probat primò ex definitione Ecclesiæ in Concil. Constant. sess. 15. vbi damnauit articulum 14. Ioan. Hus id negantis, eundemque Hus, & Hieronymum Praga igni tradi iussit; ita ex Leone X. in Bulla contra articulos Lutheri; & ex cap. ad abolendam, cap. excommunicamus, & aliis, de hæreticis, cap. super eo, eodem titulo lib. 6. ex Leone Papa epist. 2. ad Episcopos Italiae, & aliis epistolis multis relatis apud Suarez vbi supra num. 11. ex Lucio I. in epistola ad Episcopos Galliarum, Concil. Toler. 4. c. 57. & 59. & ex Nicæno vbi postulatū fuit à Constantino, vt hæreticos Arianos puniret. Idem constat ex legibus optimorum Principum, qui grauissimas pœnas in hæreticos statuerunt, vt constat, ex l. Manichæos. l. Arianis. l. Quicumque, Cod. de hæreticis, & aliis quas refert, & laudat Augustinus lib. 1. contra epistolam Parmeniani cap. 7. & in epist. 166. ad Donatistas, vbi addit, solum Iulianum Apostatam contra hæreticos non animaduertisse.

7
Probat ex
doctrina Pa-
trum.

Secundò probatur ex doctrina sanctorum Patrum, qui hoc idem docuerunt. Augustinus locis citatis, & epist. 48. ad Vincentium, & epist. 50. ad Bonifacium, qui licet antea in locis relatis apud Suarez num. 3. non probauerit pœnas corporales in hæretico, postea tamen prudentior experientia factus id retractauit lib. 2. retractat. cap. 5. & epist. 48. & 50. imò licet desiderauerit, vt à mortis supplicio abstinere; id tamen iuste infligi posse planè sensuit, vt constat ex lib. 1. contra epist. Parmen. cap. 7. & tract. 11. in Ioannem & dicta epist. 50. ad Bonifacium. Videri etiam possunt Gregorius Magnus lib. 1. epistol. 72. ad Gennadium Bernardus sermone 66. in Cant. & lib. 4. de Consideratione ad Eugenium. Leo Papa epist. 91. & 93.

8
Colligitur ex
Scriptura Sa-
crata.

Tertiò hoc ipsum ex scriptura sacra colligitur: Nam in veteri testamento contra eiusmodi delicta variæ pœnæ statutæ sunt, & executioni mandatæ, vt constat ex Deuteronomio. cap. 13. 17. & 18. & lib. 3. Reg. cap. 18. & lib. 4. c. 10. & 23. imò & ipse Nabuchodonosor capitalem pœnam imposuit blasphemantibus verum Deum, vt constat ex c. 3. Danielis, quod edictum laudat Augustinus. dicta epist. 50. & alibi. In nouo etiam testamento Christus flagello prophanatores templi exire coëgit, Ioann. 2. Petrus verò verbo suo Ananiam, & Saphiram mentientes Spiritui sancto interfecit. Act. 5. Paulus Magum nondum baptizatum, qui Proconsulem à fide auertere conabatur, cæcitate percussit Act. 13. quandrò maiori iure si baptizatus iam fuisset, potuisset eum punire: Et idem Paulus 1. ad Corinth. 5. incestuosum tradidit sathanæ in interitum carnis, hoc est, corporaliter vexandum, vt exponunt Theodor. S. Thomas, & alij, vt spiritus saluus fieret, & ideo hæc in se potestatem agnoscens dixerat. c. 4. vultis in virga veniam ad vos? nimirum virga illa, de qua dictum Christo fuerat psalm. 2. Reges eos in virga ferrea, & quampotestatis coercit, & punitiue virgam, cum Christus discipulis ad Euangelizandum missis in initio prohibuisset secum ferre, Matth. 10. postea tamen Ecclesiæ suam morti proximus erigens præceptum illud reuocauit, & gladij vsum concessit Luc. 22. quod de gladio etiam materiali, & corporeo intelligi

debere probat eruditè Sanderus vbi supra c. 11. Neque Christus gladium illum proprium Petri esse negauit, sed reprehendit abusum, vt rectè intulit Bernardus dicto lib. 4. de Consideratione loquens cum Eugenio Papa, quem tamen gladium, inquit, qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic, conuertere gladium tuum in vaginam. Tuus ergo, & ipse tuo forsitan nutu nisi non tua manu euaginandus: alioquin si nullo modo ad te perlineret & sic, dicentibus Apostolis, ecce duo gladij hic, non respondisset Dominus, satis est; sed nimis est. Pterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis, & materialis; sed is quidem pro Ecclesiæ, ille verò & ab Ecclesiæ exerceendus; iste Sacerdotis, is militis manus; sed sane ad nutum Sacerdotis, & iussu Imperatoris. Videri etiam potest Augustinus. contra Faustum Manichæum, eundem gladij è Christo præcepti sensum confirmans, cuius verba refert Sanderus eodem cap. 11.

Quatrò probatur ratio manifesta: quia nulla est Respublica bene ordinata, in quam non sit potestas puniendi subditorum delicta præsertim atrociora. Est enim necessaria criminum poena in primis ad vindictam, & Reipub. satisfactionem ad quem etiam finem potestas hæc in Ecclesiæ reperitur, iuxta illud Pauli 2. ad Corinth. in promptu habentes vlcisci animam inobedientiam, nulla autem inobedientia deterior, quam hæresis. Secundò est necessaria punitio ad exemplum, vt alij in alieno capite sapiant, & ab his criminibus caueant, iuxta illud eiusdem Pauli ad Titum 3. peccantem coram omnibus argue, & ut ceteri timorem habeant. Quod maxime in hæresi necessarium est, quæ teste eodem Paulo, vt cancer serpit; Vnde meritis doluit S. Hieronymus lib. 3. in epist. ad Galatas cap. 5. ea de causa Arianismum per orbem vniuersum fuisse propagatum: Arius una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est. Tertiò denique prodest poena ad bonum, & correctionem ipsius, qui puniunt: ideo enim dicitur Proverb. 13. Qui parit virga, odit filium: & ad Heb. 11. quem diligit Dominus, castigat. Et Augustinus faceret se experientie didicisse, quàm finit hæc pœnæ viles ipsis hæreticis, quorum multi hoc timore ad fidem Catholicam serio redierunt: de quo videri potest dicta epist. 48. & 50. Ideoque Paulus 2. ad Corinth. 10. dicit, potestatem hanc esse in ædificationem, si gloriatur, inquit, fuero de potestate, quam dedit Dominus nobis in ædificationem, non in destructionem, non erubescam.

Hæc autem argumenta probant, penes ipsam etiam Ecclesiæ, & eius Prælatos esse hanc potestatem compellendi, & puniendi hæreticos, quia Petrus, Paulus, & alij, qui potestatem hanc in se agnoscebant, non erant Principes naturales: & quidem quoad pœnas spirituales non potest esse difficultas, cum non possint procedere, nisi à potestate spirituali. Quoad temporales verò, & corporales Suarez n. 21. dicit non posse sine errore negari. Fundatur enim in verbis illis vniuersalibus, pascite oues meas, & quodcumque ligaueris super terram, &c. Et constat ex definitione Innocentij IV. facta in Concilio generali Lugdunensi, & relata in cap. Ad Apostolicam, de sentent. & re iudicata in 6. Et ex vniuersali, & perpetuo Ecclesiæ vsu, quæ in re tanti momenti falli non poterat: & tamen propter alia etiam delicta imponere solet pœnas grauissimas, vt constat ex cap. 1.

cap. 1. de homicidio in 6. ex cap. nouit, de Iudiciis, ex Concilio Toletano 4. cap. 59. & sequentibus, & aliis decretis, quæ congerit Suarez num. 24. Cur ergo in peccato hæresis, quod aliis est grauius, potestas hæc Ecclesiæ deesse? Imo etiam si deesse alia crimina puniendæ, ad hoc vnum non deesse, vt constat in ipso summo Pontifice, qui ob alia delicta non potest ab Ecclesiâ iudicari: si sit tamen hæreticus potest ex communi Doctorum sententia Ecclesiâ de hoc cognoscere, & vbi à Concilio generali declaratus sit hæreticus, eo ipso à Christo deponitur, & postea potest ab Ecclesiâ puniri, sine qua potestate Ecclesiæ Respublica defectuosa esset, sicut & qualibet alia, & experientia constat pœnas spirituales non sufficere ad coercendos improbos, qui magis terrentur pœnis temporalibus, & corporalibus, quarum timore à delicto semel deteriti facilius præbent veritatem auditum, nam vexatio ipsa dat intellectum, & applicat se ad melius ponderanda fidei motiua, vt eam iam ferio, & ex animo amplectantur.

11 *Saluatur argumenta. Obiectio 1.*
Argumenta, quæ in contrarium afferri solent, facile dissoluantur. Primò solet obijci, quia fides debet esse libera, & spontanea, non ergo debet esse coacta: sequuntur enim inconuenientia fictæ conuersionis, & alia, ob quæ diximus *supra* disp. 19. sect. 2. non esse infideles cogendos ad fidem amplectendam. Respondetur, etiam alias virtutes esse liberas, vt meritum habeant, & tamen homines pœnis coguntur sæpe ad eorum actus, nempe ad iustitiam, ad castitatem, ad religionem, &c. Deinde ad fidem ipsam Deus compellit grauissimis inferni pœnis statutis, vt constat ex illis verbis, qui verò non crediderit condemnabitur. Non ergo impediunt pœnæ libertatem requisitam ad fidem, sicut nec libertatem ad alia opera bona: quia qui metu pœnæ operatur, liberè operatur, simpliciter, & absolute. Cur autem infideles nondum baptizati non cogantur ad fidem, rationem reddidimus dicta sect. 2. quia nimirum Christus non dedit Ecclesiæ potestatem nisi in subditos: sunt autem subditi solum per baptismum, ante quem sunt omnes foris extra Ecclesiâ; nec baptismus licet conferatur iis, qui non præsumuntur dispositi, quales sunt coacti. Hæretici autem iam sunt intra Ecclesiâ, & eius subditi, nec illis conferendus est baptismus, quare non multum refert, quod præsumantur indispositi, & ficti, minus enim periculi est in hoc, quam si impunè tollerentur errare, & dogmatizare.

12 *Obiectio 2.*
Secundò obijciatur, quia in Scriptura solum præcipitur hæreticos deuicare, & ab iis recedere, non verò eos torquere, punire, occidere, vt constat ex Paulo ad Titum 3. post vnam, & secundam correptionem deuicare, & ad summum corripendi dicuntur 2. ad Timot. 2. quod idem habetur ad Titum. 1. & 2. ad Thesal. 3. & Ioann. epist. 2. Vnde Christus recedentes à se discipulos non puniuit, sed cæteris dixit, *Nunquid & vos vultis abire?* Ioann. 6. vt notauit etiam Cyprianus epist. 55. Er ipse semel Christus Math. 18. de non audiente Ecclesiâ, solum dixit, *si tibi tanquam ethnicus, & publicanus*, quasi ibi sistere debeat Ecclesiastica correptio. Vnde Paulus potestatem suam non materiale, sed spirituale appellat. 2. Corinth. 10. *Arma militie nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo*, & ad Ephes. 6. *gladium spiritus, quod est verbum Dei*.

13 Respondetur, argumentum negatiuum non

concludere, præsertim, quia licet in aliquibus locis sola separatio ab hæreticis præcipiatur, quia hæc magis, & omnibus vniuersaliter necessaria est; in aliis tamen potestas puniendi satis significatur, vt vidimus. Et quidem nec adulteros, aut homicidas Christus præcepit occidi, aut puniri, ad quorum tamen punitionem nemo potestatem negabit. Permisit Christus abire discipulos recedentes, sed neque ij adhuc subditi erant Ecclesiæ Christianæ, neque Christus vsus est potestate sua ad pœnas, & correptionem materiale, nisi raro, quia sic expediebat eo tempore, sicut etiam permisit se iudicio sæcularium iudicum, ad quod declinandum potestatem habent, & præceptum sæpe Ecclesiastici Prælati.

14 *Obiectio 3.*
Tertiò obijciatur vsus antiquæ Ecclesiæ, in qua per multos annos non aliter hæretici puniti sunt, quam per meram separationem, nec Apostoli, vel antiqua Concilia aliud pœnæ genus agnouerunt, vt constat ex Cypriano, Irenæo, & aliis, quos affert Suarez n. 5. Respondetur, in primis falsum esse antecedens, vt multis exemplis adductis ostendit Bellamini. *dicto* lib. 3. cap. 22. in responsione ad primum: deinde distinguenda sunt tempora, nam initio Ecclesiâ, & Prælati Christiani erant sub potestate Principum infidelium, quare non poterant vi coërciua hæreticos pœnis temporalibus, aut corporalibus, comprimere. Postea, quando Principes Christiani facti sunt, cœpit Ecclesiâ suam potestatem exercere, non solum censuris eos puniens, sed etiam examinata eorum causa, tradendo eos Principibus, vt eorum ministerio pœna pecuniaria mulcerentur, quod cum non sufficeret, quia in exilio etiam scriptis, & doctrina nocebant, peruenit fuit ad vltimum remedium, vt omni de medio tollerentur, & occiderentur, qui incorrigibiles probati essent. Exemplo ipsius Christi, vt ponderauit Augustinus *in epist. 50.* qui prius inuitauit suauiter ad nuptias, postremo addidit, *compelle eos intrare*. Luc. 14. neque enim à principio extrema remedia tentanda fuerant, donec de aliorum inefficacia constaret.

15 *Obiectio 4.*
Quartò obijciatur exemplum S. Martini, qui vehementer reprobauit factum Idacii, & Ithacii Episcoporum, qui apud Imperatorem mortem Priscillianii hæretici procurabant, vt refert Sulpitius lib. 2. sacre historię circa finem, vbi idem Sulpitius inuehitur contra eosdem Episcopos. Respondeo cum Bellarmino *dicto* cap. 22. Martinum, & Sulpitium merito reprehendisse Episcopos illos, primò quia causam fidei, & Ecclesiasticam à Principe sæculari decerni voluerunt, quod S. Martinus dixit nouum, & inauditum nefas esse. Secundò quia Episcopi accusatoris munere functi sunt in causa sanguinis, quod quidem Episcopi facere non debent, sed declarare hæreticum, eumque sic declaratum tradere iudici sæculari, perendo vt clementer cum eo se gerat, alioquin ipse Sulpitius ibi fatetur expressè Priscillianum, & eius socios vita indignissimos fuisse.

16 *Obiectio 5.*
Quintò obijciatur, quia Iacobo, & Ioanni volentibus comburere igne de Cælo delapso Samaritas ob irreuerentiam in Christum, dixit ipse Christus *nescitis, cuius spiritus estis*. Luc. 11. non est ergo iuxta spiritum Christi, & Ecclesiæ hæreticos comburere. Respondetur, Samaritas illos nondum fuisse intra Christi Ecclesiâ sicut sunt hæretici. Addit Bellamini, Iacobum, & Ioannem

Ioannem actos non zelo salutis animarum, sed amore vindictæ, ideo à Christo obiurgatos. Facilius dici potest admonitos discipulos de doctrina, & Spiritu Christi, quam ipse in memoriam eis reuocauit verbis proximè sequentibus dicens: *filius hominis non venit animas perdere, sed saluare*; in suo nimirum humilitatis aduentu patientiæ potius, quam potestatis exempla exhibiturus, sic enim interpretatur Hieronymus epist. ad Algasiam dicens: *Dominus, qui non ad indicandum venerat, sed ad saluandum, non in potestate, sed in humilitate, non in Patris gloria, sed in hominis vilitate, increpat illos, qui non meminerunt doctrine sue, &c.* Sicut ergo Christus iudicandi potestatem in hac mortali vita non exercuit, sed postea; ita nec puniendi nisi raro, ut quando negotiatores flagello è templo ad correctionem eiecit.

17
Obiecto 6.

Sexto obicitur ex Matth. 13. vbi seruus volentibus eradicari zizania, Dominus non permittit, sed dixit, *finite utraque crescere usque ad messem*, vbi zizaniorum nomine intelliguntur hæretici, quos non esse occidendos notarunt ex iis verbis, Chrysostomus ibi; & Cyprian. lib. 3. epist. 3. ad Maximum, & Urbanum. Respondetur, hunc locum ad hoc ipsum obiectum esse Augustino à Donatistis, ut ipse testatur lib. 3. contra epist. Parmen. cap. 2. qui Augustinus licet in libr. quæstion. in Matth. quæst. 11. intellexerit per zizania hæreticos, id tamen postea retractauit lib. 2. retracta. c. 28. vbi ex Cypriano docet, intelligit omnes malos, quod idem sentiunt Gregor. Ambros. & Theophyl. apud Cornel. in illum Matth. locum, & idem etiam Augustinus sermone 39. de seditis. Quare sicut Christus non prohibet fores, homicidas, & alios extirpari è republica, poenis etiam capitalibus; sic nec id prohibet de hæreticis, qui nequiores sunt: solum prohibet, ne auferantur cum detrimento tritici, ut significant verba illa, *non ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis, & triticum.* Quod periculum subest, quando vel discerni non possunt mali à bonis, vel extirpatio malorum rixas, & pericula probis ipsis excitabit. Ideoque Chrysostomus in contrarium adductus eo casu prohibet improborum, & hæreticorum occisionem; ut relatis eius verbis probat Bellarminus in respons. ad 10. Cyprianus verò non loquitur de solis hæreticis, sed de omnibus sceleratis, quos tamen omnes auferre, dicit pertinere ad solum Deum qui solus potest eos omnes dignoscere. Alia argumenta leuiora omitto, quæ videri possunt apud Bellarm. dicto cap. 22.

18

Potestis puniendi hæreticos & cogendi ad fidem Catholicam recipiendam, extendi etiam ad eos, qui in infantia baptizati sunt, & ad eos qui metu etiam iniusto coacti baptismum susceperunt, in quo errasse videtur Erasmus in præfatione in Mattheum, dicens, infantes baptizatos debere postea adultos interrogari, an velint in religione Christiana permanere, quod si nolint, relinquendos liberos ad eligendam religionem. Quod tamen absurdissimum est. Cum enim potestas hæc fundetur in superioritate, & Iurisdictione, extenditur ad omnes subditos Ecclesiæ: certum est autem, quemcunque baptismo (si tamen inualidus non fuit, ex defectu intentionis requisita; vel ex alio capite) baptizatum ingredi in Ecclesiam, sicutque eius subditum, unde in Concil. Tolentan.

IV. an. 55. metu etiam baptizatos ad fidem retinendam cogendos esse definitum fuit, & in perpetua Ecclesiæ praxi seruatur.

Inferitur secundò, posse hæreticos cogi, per se loquendo, ab Ecclesiâ, ut filios suos paruulos offerant baptizandos. Nam sicut Ecclesiâ potest ad hoc obligare Catholicos, quia subditi eius sunt, ita potest, & hæreticos, in quos non minus iuris habet: quare licet de infidelibus etiam subditi sint Ecclesiæ in temporalibus, vel Principi Christiano, negent communiter Doctores posse eos ab Ecclesiâ cogi ut filios suos infantes baptizari permittant: de hæreticis tamen id omnes concedunt, quia subditi Ecclesiæ sunt, ut cum aliis docet Suarez 3. tom. in 3. part. disp. 25. sibi. 3. in princip. Quod intelligi debet, siue parentes sint subditi Principi Catholicis in temporalibus siue Principis hæreticis, siue etiam Principi Pagani non baptizati, quia potestas hæc fundatur in iurisdictione spirituali, quam Ecclesiâ habet supra parentes baptizatos, quæ non deficit ex eo, quod illi in temporalibus Principi Pagano subditi sunt.

Dixi tamen, per se loquendo, posse cogi hæreticos ab Ecclesiâ, ut offerant suos paruulos baptizandos: quia per accidens aliquando non potest Ecclesiâ uti hac potestate, imò nec baptizare hæreticorum liberos, quando scilicet certum est impie postea à parentibus educandos in sua hæresi, nec est spes ut ab eorum potestate separari possint: hoc enim cederet in iniuriam ipsius baptismi, si conferretur iis, quos certum mortaliter est per Apostasiam vel hæresim recessuros à professione fidei baptismi facta. Quare Theologi communiter dicunt non posse seculo necessitatis casu, Sacerdotem Catholicum licet baptizare paruulos hæreticorum filios apud parentes educandos, atque adeo certissime postea à Catholica fide defecturos. Ita Suarez dicta disp. 25. sect. 4. Coninck de sacramentis, quæst. 68. art. 10. dicit. unico num. 81. & alij.

Non defunt tamen, qui benignius in hoc puncto loquantur. Layman enim lib. 5. Theolog. moral. tract. 5. cap. 6. num. 12. dicit contrarium in Germania seruatum esse in praxi sæpe à viris doctis, & piis, & merito, quia periculum peruersionis non est adeo propinquum, aut certum, cum fieri possit, ut infantes, ante usum rationis moriantur, & per baptismum saluentur: & quia plerumque spes non parua est, ut hæreticorum filij aliquando in fide Catholica instruantur, quam idcirco libentius recipiunt, si sciant à Catholico Sacerdote se esse baptizatos. Ad id potest tametsi à parentibus, & ministris hæreticis falsi dogmata edoceantur, interdum ignorantia diffidit vincibili laborare, atque adeo non esse pertinaces hæreticos, sed saluari posse, si de peccatis post baptismum commissis vera conuersione doceant. Hæc Layman, cuius sententiam probabillem satis dicit Diana part. 3. tract. 4. de sacramentis, resolut. 7.

Imò ipse Suarez non videtur longè ab hoc sensu abesse, nam dicta sect. 5. volum. 2. facit in primis videri valde rigidum, & contra omnium consuetudinem negare id posse licite fieri: quod confirmat, quia sequeretur etiam non posse licite baptizari paruulum filium parentis Catholicum quidem, sed hominis sceleratissimi, & in licitum quidem, sed hominis educabatur etiam cuius potestate manens filius educabatur etiam in iisdem peccatis, amitteret charitatem in baptismo.

peius suscepiam. Sequela autem probatur, quia baptismus non minus requirit dispositionem ad charitatem, quam ad fidem, & utroque modo perditur effectus baptismi, siue postea à fide quis deficiat, siue à sola charitate. Propter quæ fateatur posse alicui videri, hunc solum articulum periculi peruersionis non sufficere ad reddendum illicitum hunc actum, si alioquin possit esse spes moralis subueniendi alio modo his periculis, & adhibendi diligentiam, ne illa sacrilegia sequantur.

23 *Quando nam conferendus sit baptismus filio heretici.*
Ego puto, in re ipsa hos auctores parum, aut nihil dissidere. Vtrique enim fatentur, quando nulla esset spes fidei retinendæ, non esse conferendum baptismum. Vtrique fatentur conferri posse, quando spes probabilis talis esset. Dissidium, si quod remanet, est circa factum ipsum, an de facto possit concipi eiusmodi spes, quando paruulus heretici filius, & in eius potestate mansurus baptizatur, quod iudicium morale pendet ex circumstantiis personarum, loci, sociorum, consanguineorum, & aliis. Sunt enim plerumque parentes heretici, qui non agere filios suos in ætate adulta ad scholas magistrorum Catholicorum mittunt, ubi facile simul cum doctrinâ fidem Catholicam discunt, vel certe discere facile possunt, & nisi nimis proterui sint, condiscipulorum exemplo, & pietate mouentur, quare de his non est desperandum, sed potius prudenter sperandum, quod fidem retinebunt. Credo etiam, non paucos ex his excusari per longum tempus à peccato infidelitatis ignorantia inuincibili, quia nec his sufficienter proponuntur Catholica dogmata suis erroribus contraria, nec obligatio grauis inquirendi, & examinandi moria nostræ religionis. Quare ubi consuetudo illa est, vt Sacerdotes Catholici baptizent hereticorum filios à parentibus oblatos, ego eam non facile damnarem. Præsertim cum eo ipso, quod Parens hereticus filium suum sponte velit à Catholico baptizari, credi possit non esse ita insensum parentem in religionem Catholicam, vt sollicitè, & anxie postea filium iam aditum ad suam sectam trahere conetur: neque etiam id contingit, nisi in locis, ubi magna sit copia Catholicorum, & libertas fidei Catholicæ profitendæ, in quibus locis facillimè poterit filius postea fidem Catholicam scire, & in ea permanere, si velit eadem ferè facilitate, ac si à parentibus Catholicis genitus fuisset: quorum filij facillimè etiam possunt in his locis hereticorum consuetudine, & familiaritate peruertere, vel morientibus parentibus venire in potestatem consanguinei heretici, quod tamen periculum non attenditur, vt iis in infantia baptismus non conferatur.

SECTIO II.

De alio medio, quo vititur Ecclesia contra hereticos, prohibendo eorum libros.

24 **H**Oc est alterum medium, quo Ecclesia vti solet ad hereticos comprimendos, eorumque doctrinam impediendam, dum eorum libros, eorumque lectionem omnino prohibet. Aduersus quam prohibitionem, & librorum incendium querelas multas heretici iactant, quas doctè refellunt Bellarminus lib. 3. de luctu, capite 20. &

Suarez in præfati disp. 20. sect. 2. fingunt enim mendacissimè heretici huius temporis, hoc genus prohibitionis incognitum fuisse in Ecclesia antiqua, cuius contrarium constat ex innumeris exemplis, quæ congerunt prædicti doctores. Nam in primis actum 19. multi ex fidelibus denud conuersis adduxerunt, & publicè combusserunt libros vanos, & superstitiosos, quos habebant: & Clemens lib. 1. Constit. Apost. c. 7. refert libros Gentilium, & falsorum Prophetarum fuisse fidelibus ab Apostolis prohibitos: & in Concilio Nicæno, teste Nicephoro lib. 8. cap. 184. statutum est, vt Arii libri cremarentur, & Constantinus addidit æpitis penam eos occultantibus. Socrates item lib. 1. cap. 24. refert Marcellum, Ancyranum damnatum fuisse, quod nolisset more solito libros suorum errorum comburere: & lib. 6. cap. 9. refert Epiphanius in synodo Cypri coacta prohibuisse fidelibus Origenis libros: & in Concilio Carthaginiensi 4. can. 16. solis Episcopis permittitur in casu necessitatis hereticorum libros legere. Et Theodorus in l. Damiano, Cod. de hereticis, ex præscripto Concilij Ephesini, iussit comburi Nestorij libros, & idem constat ex lege Mathematicos, Cod. de Episcopali audientia, in qua libri Mathematici nostræ religioni contrarij iubentur comburi in oculis Episcoporum. Et in l. quicumque §. nulli, & §. omnes Cod. de hereticis, prohibentur, & igni adiudicantur libri omnes Eutichetis ex præcepto Concilij Chalcedonenensis actione 3. Item Leo I. epist. 91. ad Turibium cap. 15. & 16. & Gelasius in cap. sancta Romana, distinet. 15. libros hereticorum prohibuerunt, & addidit Leo, censendos esse hereticos eos Episcopos, qui eiusmodi libros in domibus fidelium retineri permitterent. Idem constat ex 5. synodo alt. 1. & ex constitutione Iustiniani, quæ habetur inter nouellas, & est 42. & ex 7. synodo alt. 5. ubi etiam Can. 9. additur excommunicatio legentibus hereticorum libros. Et in Concilio Constant. sess. 8. confirmatur decretum Concilij Romani prohibentis libros VViclephi. Videri possunt plura, quæ congerit Basilus Pontius in Appendice post librum 12. de matrimonio, cap. 2. n. 7. Denique constat, opera hereticorum antiquorum non reperiri, quod fieri non potuit, nisi studio eorum, qui ea omnino extinguere, & aboleri procurarunt.

Ratio etiam est clara, quia si necesse est vitare sermones, & colloquia hereticorum, vt ex Apostolorum doctrina apertè constat, multò magis necesse erit eorum scripta fugere, quæ efficaciora sunt ad pervertendos lectores: tum quia magis facile extenduntur, & facillè omnes prouincias, & loca penetrant, quàm vox viva extendi possit, tum quia maiori attentione, & studio composita sunt, & maiori etiam attentione leguntur, & considerantur & magis permanenter nocent. Vnde ipsi etiam Gentiles libros moribus, vel suæ etiam falsæ religioni contrarios accorare prohibebant, & comburebant, vt constat ex Valerio Maximo lib. 1. c. 1. ex M. Tullio lib. 1. de natura Deorum, qui id circa libros protagoræ Athenienis iussu factum refert, & multa congerit Lorinus in Act. Apost. c. 19. vers. 19.

Est autem aduertendum, duplicem esse titulum ad hoc faciendum. Primus est per modum medicinæ, vt bono fidelium consulari, auerendo scilicet ab iis venenum, quod ex horum librorum lectione haurire possent. Secundus est per